


...ndreas

... Academicae Studiosae

Nobilitatis Gratulationes.



GRATVLATIONES
HONORI
Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Dñi.
D. ANDREAE
SZOLDRSKI
Dùm
Incredibili lætitiâ totius Maioris Poloni ac
in Epiſcopatum Poſnanienſem Pri-
mùm ingrederetur.

A

Studioſa Nobilitate Academiæ Poſnanienſis

CONCINNATÆ

POSNANIÆ.
In Officina Alberti Reguli Anno Domini.
M. DC. XXX. VI.

EPISTEMMACIA ILLVSTRISSIMI.

Nota toto Symbola mundo.



Aeolus horrisonos immittit turbine ventos,
Nereus & tristis naufraga monstra iacit.
Africus horrendo naues hinc flamine turbat
Hinc Eurus nixus viribus, inde Notus.
Cedite terribiles venti, Pelagique furores
Temnit Cymba Solum hæc, nā petit illa polū.

Stanislaus Dyxen Stud: Poës.

VIRTVS INCONCVSSA.

HÆc illa virtus, Gratia cui parens
Diuina, magni progenies Iouis
Formoſa, quæ mentem iugatã
Nobilitat potiore dono,
Portat corollam vertice fulgidam,
Intaminatæ quæ nota gloriæ
Sceptrumq; fert pollens domandi
Quidquid ineſt animis rebelle.
Hæc ſola inermes armat, & erigit
Humi iacentes, diuitat Ibicos:
Reges docet clauum tenere,
Et regere imperio minores.
Virtutis expers Mars, temerarius:
Virtutis expers pax, Lapitheia:
Virtutis expers peius Argo
Fluctuat Imperij magiſter.
Virtus Curules conciliat ſuis
Faſceſque, lauroſq;, & diademata:
Vulgi tabernas, anxiamque
Spernit humum Zephyris potita.

Tenebricoſo Sarcophago nequit
Vnquam recludi; ſed nebulis màgis
Obnubilata fulget; icta
Pondere marmoreo reſurgit.
Quantùm lubebit nubibus obruas,
Tamen nitebit perpetuâ face, &
Florebit in tempus perenne
Imbriferas ſuperans procellas.
Petenda nec ſunt littore ab Indico
Exempla; ſpirant viua domeſtica.
Virtutis en cultor (vetuſtum
Sanguen) ades, Generoſe præſul.
Quàm non ſupinâ tardus inertiâ
Nec delicato turgidus otio
Prendis venuſtum ſchema magni
Nominis, effugientis annos!
Muſis amicum Matris ab vbere
Germana Phœbi candida gloria
Te haud erubeſcendis adurit
Ignibus. Ingenio tenello

Tu nempe

Tu nempe acutum perſpicis, & ſuis
Momenta rerum lancibus exigens
Diſpeſcis æternis caduca,
Et nebulis, bona vera, pictis.
Hinc non auarâ vel refugum in ſoli
Opaca Plutum detenebras prece,
Aut emedullato Liburni
Collibus inſidiaris auro:
Tactumue Lydi Principis aureum,
Monteſque Perſarum gemis aureos,
Egurgitans quæue arua Ganges
Gemmiferis opulentat vndis.
Aut ſylua denſo mugiat vt grege,
Piſciſue lymphas verna domeſticas
Perſultet: aut immenſa fortes
Iugera diſtineant iuuencos.
Aut ipſa Coâ, picta ſuperbiat
Sub veſte tellus, vtque clientium
Vallante Te longus caterua
Significet remeare puluis.

Caduca ſcis hæc, et reuolubilem
Abiecta Fortis ſub dominæ rotam,
Quæ purpuram perone crudo
Quæ laqueo diadema mutat.
Quæ cana tandem ſubruit æuitas,
Quæ dens ſenectæ ferreus exedit,
Vtcunque perdurent, ſuoque
Sera rapit Libitina buſto.
Aſt vna thyrſo Te ſapientia
Percuſsit acri, nec placidos dies
Ceſſare, nec feſſum ſilentes
Perpetitur requieſſe noctes.
Hæc ſiue lucis purpureæ ſator
Illuſtre terris exeruit caput,
Opaca ſeu caligo mundum
Roriferis cumulauit vmbris,
Blandè medullas flamma per intimas
Occulta gliſcit; nec docilis tegi
Silentio, linguam, obſtinato
Suppliciis precibuſue laxat.

Aſt nunc

Ast nunc sacratas sumis adoreas:
Hâc arte vincens posthuma sæcula,
Tempusque vincens, et fugaces
Temporis effugientis annos.
O cæptum adurge nobile fortiter
Cum laude magni Sanguinis, et Tua
Dignumque præclaro memento,
Principio paritare finem.
Non Te tacendū Posthuma posteris,
Ast æmulandum fama nepotibus
Seruabit, et conscribet auro
Inclyta facta, Tuumq; nomen.
Seu profligatas sol Aquilonibus
Lustrabit oras, seu cadet, aut genas
Spectabit auroræ rubentis,
Seu medium recreabit orbem.

SIGISMVNDVS GOSTINSKI
Studiosus Poës.

FELIT...A

FELICIA OMINA POSNÆ:

IAM ſatis triſtes doluit ruinas
Muſa, funeſtos modulata luctus:
Anxiis curis ſatis impetita eſt
Poſnea nuper.
Vidimus noſtrum violenta quando
Abſtulit robur Libitina magnum
Præſulem, quem gens dederat vetuſta
Sydere dextro:
Faſciâ clarum, celebrem Mineruae
Dotibus doctæ, roſeoque honore:
Iure qui vitæ fuerat perennis
Tempore dignus.
Audient ſeri Lechici nepotes
Gente Firleiâ genitum potenti
Præſulem, parcis domitum ſuperbis
O dolor ingens!
Aurea, & lætis celebranda votis
Lux venit, Poſnæ radians Trioni,
Pulſa iam longè fugiunt ſerenis
Nubila cælis.

Præſul auguſtus niueis quadrigis
Vectus, à Rusſis veniens remotis,
Posneam ſcandit, benè deſtinatam
Munere Diuûm.
Sic ſui campis redeunt honores
Vere dùm ſpirant Zephyri tepentes:
Sic ſuos fertur reparare mitis
Cynthia vultus.
Magne, & auguſto generis nitore
Inclyte ô Præſul, Tibi deſtinatum
Culmen aſcendas: Tibi aperta honoris
Ianua templi.
Te ſeneſcentis veniente creſcat
Forma ſplendoris: ſine fraude veri
Simplicis candor: rediuiua ſurgat
Te duce virtus.
Augeat ritus vetereſque mores
Per vias Regni, bona pax, Poloni,
Pulchra ceu campis riguis per imbrē
Gramina ſurgunt.

Serus ad Diuos remea, diuque
Saluus intersis misero popello:
Hic ames noster pater, atque custos
Ritè vocari.
Nomen æternis iuuenescat annis
Szoldrscium, clarus sua sol diei
Donec effundet, sua Luna donec
Lumina nocti.

HIERONIMVS CASIMIRVS a
Rozdrazow Rozdrazewski
Stud. Gram.

MVSIS NOBILIORA PARANTVR.

INdue lætificum Lubranscia Musa Theristrum
Quale Palæstinæ sueuerant sumere Nymphæ
Quando Leoninas Phæbus descendit in ædes:
Nam venit illa dies, Faustis successibus, vrbis
Posneadûm ingreditur quâ Præsul mænia magnus.
Szoldrscianæ gentis germen columenque vetustæ.
Ex qua (fabor enim verax) tot fulmina belli,
Tot fomenta Togæ, tam splendida sidera miris

Emicuêre modis, quot vernâ Delius aurâ.
Spargitur in radios, vbi formôsissimus annum
Explicat, aurifluisque rigat splendoribus orbem.
Aut quot cæruleæ gremium conspergere matris
Hesper amat facibus, cùm sôl concesserit astris
Et Phæbe bifidæ scintillans lumine frontis
Vrget iter, curruque volans dat lora secundo
Et stellas radijs longè inter fulgurat omnes.
Induc lætificum reuirescens Musa Theristrum
Ingreditur Præsul magnis virtutibus ingens;
Virtutum diuina Phalanx comitatur euntem,
Aeriumque choris iter ardet: serta per omnes
Sarmatiæ dispersa plagas. Purissima ridet
Relligio, spargensque rosas Patientia vernas.
Purpurat, Astreæque soror clementia bellè
Lilia natiuo violarum interserit auro.
Et Dea cælestis violati Numinis vltrix
Magnanimum pectus loricâ accincta trilici
Fulmineum dextrâ gladium, læuâque bilancem
Aequali appendens trutina, iam vere rubentes
Desuper effundunt calathos, vinctæque coronis
Inter se alternis hilares amplexibus hærent,
Tempora cana Fides ligat immortalibus herbis;
Nescia Spes curarum, & plenis Gratia riuis
Lætior, & placidam suadens Concordia pacem,
Atque verecundis Suffusa ruboribus ora
Hinc pudor, hinc probitas, hinc castæ mentis honores
Insignes vultu Nymphæ, liquentia pennis
Regna secant, strident Zephyri, subitoque volatu
Saucia, flammiuomis clarescunt nubila gemmis.

Et iussæ optato sidunt in culmine Posnæ.
Instrue magnificos Academica Musa colossos
Ingreditur Posnam felici numine Præsul,
Cui multùm sidus Russæ Præmislia gentis
Debet belligeræ meritò: nam pristina virtus
Hoc duce, & æternæ Pietas nil indiga laudis
Sed censu contenta suo, sesèque beata
Respirat, sincera Fides, veterumque Parentum
(Ardua quos merito virtus transcripsit olympo)
Dogmata de medijs tandem fulsêre procellis.
Hoc duce barbaries omnis, doctisque fugatus
Exulat error agris, ætasque diserta patentem
Ingenijs aperit campum, Musisque decorem
Restituit, reparatque artes meliore metallo.
Indue lætificum Lubranscia Musa Theristrum
Ingreditur Præsul Posnam, ceu mane recenti
Exoriens radiat rubicundo è gurgite Phæbus
Dùm stringit Geticum radijs flammantibus Hæmum
Igniuomasque rotas solito rutilantior vrgens
Fert lucem meliore comâ, flammasque vomentes
Clarior aurifluo iungit temone iugales.

ANDREAS IN WYSZYN
GRODZIECKI Castell: Miedzierz.
Stud: Gramm.

SINE

SINE PERICVLO TVTA

O Nauis Lechicis orta Trionibus,
Poſtquam Rusſiacis plena charybdibus
Felix æquora nuper
Ingenti ſuperaueris
Auſu, nunc referent in mare Te noui
Fluctus. ô quid agis? fortiter occupa
Vartham, nonne vides vt
Conſurgant Stygii canes
Occurrent validis fluctibus inuiæ
Syrtes, & ſcopulis ſurget inhoſpita
Scyllarum rabies, ſed
Vinces Præſule nauitã
Tanto Magna Ratis. vellera Lechicis
Terris Aeſonides aurea Lechicus
Portabit, ſuperato
Magni fluminis impetu.
O nunquam metuas Sæua pericula
Felix Magnanimi Cymbula Præſulis,
Cæcas nec tenebras, nec
Hoſtes impauidos nimis.

Tranabis nimiæ monſtra licentiæ,
Per Syrtes placidis acta fauoniis:
Sic ſic crebra repoſcunt
Hæc ſuſpiria Poſneæ.

STANISLAVS IN WYSZYN GRODZIECK

Caſtell: Miedzie. Stud Gramm

VIVET POST FVNERA VIRTVS

OMnia ſunt ſubiecta truci Rhamnuſidis iræ
Hæc voluit dubiâ quidquid in orbe, rotâ.
Deprimit: extollit: variat: vi: munere; vultu:
Regna: caſas: vrbes: hoſtis: amica: leuis.
Subleuat exiguas, ingentes deſtruit arces,
Sindone tecta oculos, alite nexa pedes.
Inſtabili humanos nutu regit ipſa labores,
Indignè illius multa furore cadunt.
Sic Perſæ nunc regna iacent euerſa Darij
Sic tenet Hæbræas fortior hoſtis opes:
Romanique fuit decus atque potentia Regni,
Imperioque vetus floruit Alba breui.
Nunc vbi Alexandri ſunt ſceptra potentia Magni,
Qui caput, & toto victor in orbe fuit?
Cuncta tibi ſubiecta manent, ſubiecta manebunt
Viribus, ô nimiùm Sors malefida tuis.

Sola

Sola tuos spernit virtus ridetque furores,
Fræna potestatis despicit illa tuæ.
Sola per æternos nunquam lapsura manebunt
Quæ sunt virtutis fontibus hausta, dies.
Præsulis hoc firmat virtus, celebresque labores
Queis vnquam poterit nulla nocere dies.
A puero sacras coluit feliciter artes
Et sua Pierijs corda rigauit aquis.
Eductusque probè moresque amplexus honestos
Acri virtutes imbibit arte bonas.
Ausonias studijs adijt maioribus vrbes
In quibus æterni nomen honoris alit.
Quem sibi continuo fructum quæsiuerit vsu
Pluribus ingenij dotibus ipse probat.
Ipsius hoc firmat probitas, & mentis acumen
Cognitio rerum, iudicijque vigor.
Dulcedo morum, grauitas, Sapientia, splendor,
Et constans facili cum bonitate Fides.
Illius annosum facundia Nestora vincit
Quaque mouere potest, quaque docere potest.
Hic si cum Danao venisset milite, longâ
Vincere Troianas obsidione domus:
Non ita versutum cecinisset Homerus Vlyssem,
Sed dubitasset vter cultior ore foret.
Nam licet Argiuis Ithacus dicatur Achillem
Inuenisse animi calliditate sui:
Et mouisse patrem verbis Agamemnona, natæ
Leniat vt furias cæde Dianna tuas:
Missus & Iliacas præstans orator ad arces
Accusasse Phrygis furta nefanda viri:

Iamq;

Iamque petituros patriam reuocasse Pelasgos
Ne linquant turpi Pergama capta fugâ.
Et quæ præterea cauto tribuuntur Vlyssi
Ista tamen ficti nominis esse queunt.
Præsulis ast veros quæ nunc profitetur honores
Cur pingat Musæ fabula ficta pedes?
Cùm tantam illius meruit Sapientia laudem
Quam celebrare Maro vix satis ipse queat.
Si Venus Æneæ Mater, Mauorsque Quirini
Non malè ab antiquis creditur esse pater;
Illi, quòd celebri fouit pietate parentem,
Huic quia felici milite bella tulit.
Præsulem at antiqua hunc quod si fors secla tulissent
Præstantem tali pectore, & ore virum?
Mercurium certè Maiæ genuisse nepotem
Clamâssent, dignum sede & honore Iouis.
Antè leues ergo capientur in æquore myluí,
Aëris & pisces in regione fluent.
Antè petet cursu tua Regna Polone supino
Vartha, nec instabiles in mare voluet aquas.
Antè calor deerit flammis frigusque pruinæ,
Gramen agreste solo, defluus humor aquis.
Præsulis ingentes dotes longæua vetustas
Quam tollet Magni: fama perennis erit.
Vnica inocciduos virtus æternat honores,
Cultores inter collocat astra suos.

ANDREAS SMOGVLECKI
Stud. Poës:

GLORIA VIREBIT VT LAVRVS.

NON vſitato, nec tenui feror
Abreptus æſtu, cedite triſtium
Tormenta curarum, arduus me
Ardor agit peramæna Poſnaæ
Theatra verſu promere candido, &
Ornare Myſtæ tempora laureâ,
Rapace quam non tempus horâ
Nec rapient rapidæ fauillæ.
Quæ tam coruſco laurea germine
Celſum laborat ſurgere in æthera:
Quæ fama prenſatum laborat
Noſſe virum, ſtatuente Muſâ:
Hæc illa laurus, laurus amabilis
Amore cuius mille laboribus
Defunctus alme ô Myſta gaudes
Magnificos ſuperaſſe faſtus.
Tibi ſacratæ tempora laureæ
Myrto impeditae, ſertaq; ſplendidis
Lambent Pyropis: ſeu renatum
Arboribus dederit decorem

Vere auſpicato fax Hyperionis,
Iniurioſis ſiue Aquilonibus
Querceta Gargani laborent
Et foliis ſpolientur alni.
Non Flora tantis ſplendet odoribus,
Tot non Hydaſpes vorticibus tumet
Spumans metallis: tot rubentes
Non rapidus Scytha dat Smaragdos:
Tot non Orion luminibus nitet;
Quot æuiternis Præſul honoribus
Splendes per orbem celſiora
Culmina condecorans tiarâ.
Iam nunc ſuperba celſior Infulâ
Exurge lætus, ire vias potens
Longas per obſtantes phalanges
Munera digna viris capeſſe.
Videre magnum iam videor iubar
Quod è decoro puluere Cynthii
Per tot labores comparatum
Fers niueo radians honore.

Audire nunc mi iam videor tuas
Laudes per Posnæ compita spargere
Iam te celebrat, & perennes
Gloria multiplicat triumphos.
Seu Sol Eois fluctibus exerit
Vultus decoros, sponsus vti nouus
Auro refulgens, gemmeâ q;
Tempora conspicuus coronâ:
Seu cùm fugacem præcipitans diem
Curru citato tempora diuidit,
Artusq;, viresq; impetumq;
Centimano similis Giganti:
Ab vsque Eoo cardine ad vltimam
Metam occidentis sydera permeans
Obliqua, vitali calore
Cunctiferam recreat parentem.
O digne versu Mæonio cani
Præsul sacrate, & digne per aurea
Tolli Tonantis regna. Digne
Vertice cui sedeat tiaras.

I nunc corymbis ſplendidus aureis:
I nunc per omnes Sarmaticæ ſinus
Telluris almæ. Te ſequentur
Gloria, pulcher honos, triumphus.
Aduerſa nunquam numina ſentiet
Virtute quiſquis res gerit arduas.
Virtus coruſcat, inter ignes
Luna velutrenitet minores.

STANISLAVS ZABINSKI
Stud: Póëſ.

REDEVNT SATVRNIA REGNA.

ASCende Præſul, Sarmatiae iubar;
Aedes honoris numine dextero,
Aſcende felix, & coruſcam
Iure refer merito tiaram.
Iam iam ſuperbo ſyderavertice
Suprema pulſo, iam Solium Iouis
Contingo, iam ſublimis, vdam
Tollor humum fugiente pennâ.

Nec Fibra certè cornea mi riget,
Sacrata quin me tangat adorea,
Ardensque lemniſcis corona
Non humilis pretium laboris.
Non ſic paterno ſi quis abit ſolo
Optat remotis de regionibus
Ridente vultu contueri
Dulce ſolum, patrios penates
Hoſpes: minaci ſi quis in æquore
Iactetur vndis, littora tangere
Mercator haud ſic poſcit, altum
Sollicitans precibus Tonantem:
Quàm Te popellus ſollicitâ prece
Poſcit, Senatus Sarmatici decus,
Tutela rebus luctuoſis
Præſidium columenque ſaluis.
Tu Tu æſtuantis monſtra licentiæ,
Formidoloſæ probra proteruiæ
Hoſteſue ſaeuos, & furentem
Magnanimus ſuperabis Orcum.

Qualis frementi murmure proruit
Torrens ſupinis collibus in cauas
Valles: vt horrendam propinqui
Diluuiem trepident coloni,
Dictinna non ſic ignea lumine
Claro coruſcat, flammiuomus quoque
Non ſic refulget ſol per orbem,
Tranſiliens vaga regna cæli:
Vt Tu nitentis fulgure gloriæ
Splendes per orbis climata Lechici
Bene auſpicatò per triumphos
Hæreſeos metuendus hoſti.
Non ſemper atrox murmure vel Notus
Vel Eurus atro flamine turbines
Formidoloſos euaporans
Excitat Aeolia è cauerna.
Nec ſemper auris bruma niualibus
Riget, nec agri ſub niuibus latent:
Nec ſemper æquor ſæuit ictum
Horriferis Aquilonis alis.

Terras

Terras reuisit Memnonium iubar
Temone verso, cùm petit arduos
Montes, amænos inde pictæ
Instar auis rapiente pennâ
Fontes resoluit, persimiles nimis
Alatus acri quos equus vngula
Excussit, armato tremendam
Milite qui domuit Chimæram.
Strauit quietis æquora fluctibus
Neptunus, antris condidit Aeolus
Ventos, nisi Mystæ secundo
Flamine qui veherent Carinam
Videre Festos iam videor dies,
Cæli benigno munere candidos
Posnæ penates dum tiarâ
Fronte super redimitus intras.
Iam iam relictas cana Fides diu
Terras reuisit: iam pudor, & comes
Astræa pacis, quæ repulsam
Sæua diu gemit inter arma.

Minacc ferro territat improbos.
Atque euagantem fræna licentiam
Iniecta caſtigant, & aequas
Dedoceant temerare leges.
Mox inſolentis Fida Patulcij
Biualue nexu limen aheneo
Catena claudet, qui cruentum
Diſsidijs inimicat orbem,
Iam iam alma cornu diuite Fauſtitas,
Opimet agros, mergetibus Ceres;
Autumnitas mox muſtulenta
Flore ſolum Bromio ſaginet.
Pullamque leuis ſtaminibus colum,
Quæ fata certis texere liciis
Aeterna, dicuntur ſorores
Velleribus croceis inaurent.
Fortuna greſſu maxime Præſulum
Te ducat almo; de ſtabili gradu
Felicitatis, nulla ſorti
Te debita quatiat procella.

Viues

Viues perennis: ſemper & inclytus
Dicêre donec Viſtula Balthici
Curret maris ſub littus altum
Sarmaticos glomerans per agros

IACOBVS HOVGRAF
Stud. Póeſ:

TV NOVVS MONSTRORVM DOMITOR.

Herculis inſignes celebrantur honore labores,
Victrici domuit tot quia monſtra manu.
Fortia detraxit Nemeæo terga Leoni
Toruaque Lernæo lumina præſsit Ophi.
Ac Erymanthei feritatem contudit apri
Aeripedis ceruæ cornua fulua tulit.
Robuſto traiecit aues Stymphalidas arcu
Dædala ſemiuirum duxit in antra bouem.
Cumque fero rabidos vicit Diomede Caballos
Hyppolitæ rapuit balthea, & arma, truci.
Abſtulit Heſperidum vigilanti mala Draconi
Iniecit triplici vincula ahena cani.
Flammiuomum clauæ percuſsit robore Cacum
Geryonem forti miſit ad ima manu.
Victima votiuas hinc illius imbuit aras
Hinc audit gentis mollia vota ſuæ,

Tu cùm nitaris sacris Succurrere priscis
Et dignum afflictis asseruisse locum:
Aonidumque velis vlcisci fortiter hostes,
Quid precor hoc melius constituisse queas?
Macte Tuâ, Virtute Tuis ô macte statutis
Perge, nec incaeptum desine, Praesul, iter:
Perge, Tuo caeli benedicent summa labori
Numina, qui dignum Praesule munus obis.
O vtinam cunctis essent haec munia curis
Praesulibus, melior flaret in orbe Notus.
Tu pulchris autem noli desistere caeptis.
Teque nihil potiùs posse decere puta.
Iure Tuum ferient radiantia sidera nomen
Dignum semideos inter habere locum.

ABRAHAMVS HERTZEBERG
Stud: Poës:

QVIVIS MERITOS GRATVLATVR HONORES.

PRaesul sacratae sidus adoreae
Et Szoldrsciani gloria Nominis:
Praesul Poloni gemma Regni,
Thespiadum columen sororum,
Sal-

Salue remotis de regionibus
Ruſsi feracis: numine proſpero,
Fato & benigno tecta Poſnæ
Scande ferens niueos honores.
Te Poſna pulchris ſplendida Ciuium,
Tectis, benignum numen, & inclytum
Anciliorum munus, vrbis
Grande decus celebrat futurum.
Cernis ſacratos, delitium Tuum,
Patres Cathedræ Poſneâdum iubar,
Quos pulchra virtus pertinaxque
Cura, laborque vehit ſub aſtra,
Vt dulce paean pectore candido
Promunt, furentis Symbola gaudij;
Vt cuncta votis comprecantur
Fauſta, Tibi Generoſe Myſtes.
Miſcentur altis per fora cantibus
Et vota, & imæ Poſneâdum preces
Paſsimque maiora augurati
Cum ſenibus pueri ominantur.

Sic

Sic perbeati ſymbolon Imperi
Cohors Hymetli ammurmurat, & ſuo
Adiecta Regi fauſtitatem
De propriis cupit addere annis.
Cernis Lubranſci Mænia Præſulis
Sacrata Muſis, non ſine commodo
Aeui tenelli, Te parentem
Vt madidis lachrymis reterſis
Veniſſe gaudent. corruet improbus
Liuor: edaci dente nec horridus
Iam Momus vltra priſca mordet
Dogmata, quæ genuina Lechi
Sunt moribus: queîs Sermatiûm decus
Creuit per orbis climata maximi:
Septemtriones quæ colunt, quæ
Parrhaſiæ gelidus puellæ
Axis fatetur, temporibus feris
Fuiſſe numen (credite Liuidi)
Sibi Magiſtrum, quando Ibera
Ex regione fuêre nullæ

Artes

Artes Polonis vrbibus obuiæ.
Nunc est canendū; nunc digitis chelys
Pulsanda doctis: nunc iuuabit
Posna vetus celebres plateas
Mulcere chordis suauè sonantibus
Pulsis procellis: nunc pede Lesbio
Cantare Lechicos penates
Tempus adest Lygiæ sorores.

IOANNES BAYKOWSKI Stud. Gram.

PRÆSVLE TANTO ORBATA LVGET PRAEMISLIA.

LÆtitiæ procul hinc, dulces abscedite plausus,
Pertentent animum gaudia nulla meum:
Omnia præripuit raptus solatia Præsul
Discessu tristi, nil nisi triste iuuat.
Iam mea spes cessit, solamen dulce procellis,
Heu citò me liquit luxq̃ue decusq̃ue meum.
Quis dabit auxilium merso squalore clienti,
Et quis in afflictis rebus asylon erit.
Quis dabit, vt largo satier malè mæsta dolore.
Lumina quis faciet fletibus vda piis.
Me miseram dirâ discerpet fauce Charybdis:
Me monstro absorptam Scylla latrante premet.

Ille nepotales vetuit ſuccreſcere luxus
Floruit hoc ſuperũ terror amorque duce.
Torruit ardentis cùm bis ſol brachia caneri
Biſque Decembralis cornua aquoſa capri
Aſt ſi hìc grandæui vixiſſet Næſtoris æuum
Vidiſſem Herois ſtrenua facta mei.
Impietas omnis tetrum procul iſſet in orcum,
Laudáſſentque pium pectora iuncta Deum.
At me infelicem nec tanto Præſule dignam
Quo cum non licuit ducere luſtra decem.
Iam lætare nouo celebris Poſnania Myſtâ
Qui tibi florenti gemmea ſæcla dabit.
Excute ſi qua tuas exercet cura plateas
Incumbitque humeris ſarcina ſi qua tuis.
Iam te compoſito decet integra gaudia vultu
Concipere,& feſtum concelebrare diem.
Hic tibi quod Græco longæuus Neſtor Atridæ,
Et quod Dario Zopyrus acer erat.
Cui ſimiles tot, quot granorum Punica claudunt
Mala, ſibi petiit Perſa Monarcha dari.
At ſi quid ſuperos ſuſpiria blanda mouebunt
Si tangent ſummum publica vota Deum.
Concordes quæſo fatalia ſtamina Parcæ
Quæ nolint celeri falce ſecare, trahent.
Neſtoris vt vincat felici fine ſenectam
Et repetat cæli templa beata ſenex.
Hoc ſemper firmâ pietate fideque precabor.
Hoc decet, hoc virtus, hoc pietatis opus.

STANISLAVS Brudzinski
Stud. Pòëſ:

EMBLEMA.

AD malum nauis aquila, Regina volucrum de cælo volans rostro ramum lauri fert, pede Præsulis tiaram, altero pedum.

NEC mihi Cumæus memorat ventura Deaster,
Nec Pymplæa meam frigerat vnda sitim,
Nec tripodes noui, nec præpetis omina pennæ,
Nec vaga quid tenui murmure narret auis,
Non intellectus Fibris mihi pascitur ignis,
Surdus ab ignaro Iuppiter axe sonat.
Si tamen præsentis finem prænoscere vitæ,
Et Tua promittant, quid Tibi fata, iuuat.
Hæc cape, quæ nullis, Præsul, ambagibus edam
Immortale Tibi lux vehit ista decus.
Vnde sciam hæc quæris loquitur Regina volucrum,
Quæ Cydarin certat tollere in astra Tuam.
Sic vbi Tarquinij rapuit quondam illa galerum,
Macte hoc augurio Rex, ait vxor, eris.
Dixerat, & pondus voces habuêre loquentis
Tarquinios meminit Martia Roma duces.

CHRISTOPHORVS BLASZKOWSKI
Stud. Gram.

VOTVM

VOTVM.

DIVI immortales festinauerunt virtutes Tuas, ad gubernacula Reipub:, quam susceperas admouere: precor igitur, vt Tibi, & per Te generi humano prospera omnia, & digna sæcula contingant, Plinius Iunior Traiano Augusto lib: 10. Epist. 1.

LVcis repertor aureæ, rerum sator
  Rectorque cunctarum Deus,
Qui nitida mundi fræna moliris manu
  Orbisque habenas temperas,
A quo suorum noctiluca cursuum
  Leges capessunt sidera,
Cui famula Regi dædalum subdit caput
  Tellus moueri nescia,
Cuius potenti subditum arbitrio mare
  Vtcunque tandem iusseris,
Nunc turbulentis, summa contumaciter
  Flagellat astra fluctibus,
Nunc placida leni obgarriens Fauonio
  Lambit cachinno littora.
O cunctipotens, Vnitrine, Misericors,
  Omniscie, cunctiuidens Deus
A quo bonorum fonte ceu largissimo,
  Terras inundant riuuli:
Accipe precatus aure non durâ meos
  Si profutura postulo.
Non ego micantis aureas hyemes Tagi
  Votis auaris expeto,

Indusue Persâ turbidus gazâ fluens
Ripas inauret vt meas:
Non vt recurrens vicibus alternis dies
Tantùm arua prospectet mea:
Non vt minora genibus adspiciam meis
Infesta victor agmina:
Aut spolia collo Marte, prostrati ducis
Opima, difficili geram.
Nostrumue in oras fama nomen vltimas
Mendace curru differat.
Hæc concupiscant auream quibus sitim
(Qualem loquuntur Tantalum)
Fallace refugus torquet Euripo latex
Sicco aucupatus gutture.
Sed posco Supplex Præsulem velis pium
Seruare longùm Sospitem,
Quo Posna gaudet, & superbit inclytus
Regni Senatus Lechici.
Vincit diserta Nestoris magni suo
Sermone pulchro labra, tum
Vincat Senectam: laudis & plenus polos
Scandat coruscos, plenus &
Annis. perennis at per orbem gloria
Crescat: remotis in locis
Nauis peragret haud procellis obuia.
Huc vota collimant mea.
Hæc vna rebus potior omnibus mihi,
Auro, atque gemmis carior,
Quascunque liquido Doris occultans sinu
Spes enecat mortalium.

Hanc da roganti Magne rerum conditor
Votique me damna mei.
Hæc tibi ſacratos nube Achæmenia tholos
Pretioſus occæcet vapor
Tuumque toto nomen orbe diditum
Vterque reſponſet polus.

ADAMVS CIKOWSKI.
Stud: Póëſ.

AD ZOILVM.

Quod videri vis, eſto; at noſtra ſinito.



